

189

187

193

183

198

178

238

138

288

088

Ende

Anfang

serat Soldanus ad investigandum principium Nili, per exactum trien-
nium longe ultra Indiam processerunt et redeuntes dixerunt, ultra
Indiam nullam esse hominum habitationem, sed terram prorsus
inhabitabilem, et tantum ibi esse solis ardorem, quem ferre nequa-
quam potuissent nec ultra alveum Nili sequi valuissent p[re]caumate.

Ad illum ergo portum Alexandrinum naves de Africa, Asia
et Europa applicant; naves tamen maris Indici ad eum venire non
possunt, ut patet supra fol. 61.

Est autem propter quotidianum navium accessum mirabilibus
muris, turribus et custodiis munita, nam in ipsa urbe sunt duo
montes alti, non natura ex terra tumescenti elevati, sed arte hu-
mana et industria et labore comportati. In quolibet autem monte
stat turris et alta custodia, de quibus longe lateque speculari pos-
sunt naves per mare advenientes. Quam statim autem navis vi-
detur, signum datur custodibus murorum, qui id capitaneo vel
Amiraldo, praefecto urbis, denunciat, qui audito adventu navis vel
navium jubet parari cursoriam naviculam et recipi de suo colum-
bario in caveam quatuor aut quinque columbas, quas exploratores
secum portant in naviculam et cursim contra adventantes naves
properant et quid sit conscribunt columbamque cum littera ad
dominum remittunt, et secundum audita praefectus se gerit, aut
tranquille, aut commotionem facit, et alias naves dirigit, si na-
ves visae sunt armatae. De his columbis nuntiis vide supra
fol. 85. A. In nulla parte terrae et regni sui Soldanus tantam
custodiam habet sicut in Alexandria, ibi enim maxime timent
Christianorum invasionem, ideo communiter praefectus Alexandriae
est vir bellicosissimus et prudens, cui cedit communi cursu sol-
danatus post mortem regis.

Habuit haec urbs multa gravia proelia, hanc Romani lacera-
verunt quondam, sed Trajanus imperator eam reexstruxit. Anno
etiam Domini 1230 Petrus, Cypri regis frater, natione Gallicus,
classe instructa cum Catalonis et Gallicis eam invasit, dirupit et
combussit, et ditissima spolia (136 a) reportavit, nec postea
convaluit, unde hodie est civitas quodammodo desolata, et in dies
domus super domum cadit, et miserabiles ruinae sunt intra moe-
nia solemnissima, et pauci admodum habitatores sunt in ea, nam
praeter muscheas et domus Mamaluccorum, regentium, et fonti-

